

binaus zum Schwerdt tragen soll, alle Aergerniß an seiner Missethat vor seinem End mit seinem kräftigen Worten gegen allem Volck abgestrickt.

§. XXX. ANNA MARGARETHA IAHNIA, ex mulieribus fuit vaticinans, quae Halberstadii turbas dederunt. Sufficenter de eadem actum est, in Lib. qui inscribitur: *Ausführliche Beschreibung des Unfugs* c. VIII. & IX. sqq. Nemo autem aegre feret, se ad hunc remitti librum, quem alii, iurene, an iniuria, nostrum non est definire, tot errorum & mendaciorum, postularunt. Ipse namque Phil. Jac. Spenerus, in Responsione, huic libro opposita c. III. §. 22. p. 184. narrationem de Anna falsitatis accusare non potuit, indicio sane luculento, omnia actis, quae Spenerus evoluit, esse conformia. Mitius tamen, quam par est, iudicat, dum Iahniae revelationes, quas pro divinis habere nequit, ex corrupta profectas phantasia, arbitratur. Aliter ex Medicis pronunciat D. Frid. Hoffmannus, cui Iahnia haud visa est temperamentum habere Melancholicum, aut corrupta laborare imaginatione. Res delata est ad Academias, & nominatim, speciali Electoris mandato, ad Academiam Ienensem, inque illa docentes Theologos, iuxta ac Ieros. Hi unanimi consensu responderunt, Iahniam ad palinodiam esse adigendam, aut si eam detrectaret, urbe pellendam. Maluit exul, atque extorris, a solo patrio vivere, quam nefas confiteri. Quod & factum est, A. c. 1694. d. XXI. Maii. Extant ea de re literae M. Petri Reini-schii, eodem anno, ad Constantinum Schurzium, germanice per-scriptae. Ab hoc tempore varias pervagata regiones, in famiari-tatem tandem venit famosae illius *Evae Butleriae*, cuius supra mentionem fecimus. Ad huius exemplum nuper resipuit, & artis salutaris Doctori, in urbe Hamburgensi, nupsit.

§. XXXI. Plus simplici vice iam commemoravimus Anabaptistas Helveticos. Ex horum quoque numero fuit HEN-RICVS IEGLINVS, de quo haec habet Ottius l. c. ad Annum c. 1693. p. 275. *Bonus quidem homo attamen perfectum Christi meritum cum sanctificatione seu bonis operibus confundens, perfectionemque hominis regeniti statuens, sistit sese examinatoribus, seque erudiri & meliora doceri patitur.*

§. XXXII.